Ꝗ 16. 7bris 1604 c.

11 40 171

Serenissime Rex et Domine,
Domine benignissime,

Orationum suffragia ac servitiorum obsequia Regiæ Mati Vræ demisse offero.

Reflexis Hungaricæ felicitatis habenis, exsuperantem gentib. nostræ calamitatem propter varias circa religionem sectas, ultio divina haud dubie nobis peperit. Unde ergo morbus ut illinc remedium quoq. sumatur, sacri codices ac doctorum virorum monimenta perhibent.

Discessum est à religione Catholica, quærenda ergo rursus ibi medela, ~~ut~~ ut universus populus ad uniformem orthodoxæ fidei assensum conversus, iram Præpotentis Monarchæ avita pietate mitiget, ac perniciem tum animæ tum corporis sic devitet.

Pastoralis officij memor hac diu meditatus, reformandæq. religionis zelo accensus Sacrm imprimis Cesar, Regiamq. Mattem, Dnum meum clemm ac Regiam Mattm Vram solicitando, pro maiori intentus mei fulcimento Mandata earum obtinui, et ab officio publicisq. tum Regni tum Ɛ libata Suettis negotijs, non curato etiam bellico strepitu, recedens, asperum, cœnosum, et continuis imbribus plenum, per montes ac saltus difficiles eminensus iter, in Scepusium contendi, mandatum Vræ Regiæ Mattis per tredecim oppida evulgavi, absq. tamen effectu desiderato.

Inita namq. Cives et Prædicantes inter se concilio, respondent, se privilegijs Serenissimorum Regum, ac totius Regni Poloniæ in libertate confessionis Augustanæ sat bene munitos atq. firmatos, nō solum visitationum

172

dispositionemque Ecclesiarum mihi non permittere, sed accessum quoque interea prohibere, donec a Maiestate Vestra Regia finis exactiore, ut contendunt, sua informatione optatam sui erroribus obtineant diffinsionem.

Cum autem hoc meum in reformanda religione salutare propositum, non Regnicolis solum, sed vicinis quoque Regnis ac provinciis, earundemque Principibus atque incolis iam innotuerit; imo ad aures Summi quoque Pontificis S. D. N. ac purpuratorum Patrum pervenerit ne cum dedecore conatibus frustretur, sed spe et effectu optatis gaudeat, Maiestatem Vestram unice et qua possum maiori contentione obtestor, ut pro suo in orthodoxam Religionem zelo, ad laudem et gloriam Dei, Ecclesiae suae incrementum, aliquot Magnatum, multorum ex Nobilitate et plebe in Regno iam conversorum consolationem, firmitatemque, plurimarum autem animarum ab interitu hoc exemplo reducendarum salutem, confusionem demque sectariorum: dignetur dictorum Civium reluctantiam severiori edicto compescere, ac sub comminatione animadversionis, amissionisque omnium privilegiorum, exemplo Caesareae Maiestatis, obedientiam silentiumque illis imponere, ne re infecta redire cogar, sed triumphum ac laudes Deo concinere valeam. Sic tandem amotis ex his tredecim Oppidis, si qui non resipiscerint, Ministris, sperandum est brevi totum hunc Scepusiensem Comitatum ad fidem Catholicam conversum iri.

Plura de his per praesentium Exhibitores Reverendos Valentinum Lepes Ecclesiarum Orodiensis et Waradiensis Praepositum, Custodem, Canonicumque Ecclesiae meae Jauriensis ac Tabulae Regiae Praelatum Assessorem, et Casparem Andahazij Vicarium Canonicumque huius Ecclesiae meae

Scepusien. Mattⁱ Vᵉ coram referenda iniunxi, quos ut benigne audire dignetur demisse oro. Prosperet Dominus DEVS Mattem Vram ad florentes Annos, ac felici Regimini secundet. Datum ex Capitulo Scepusien. die 6 Septembris. Anno 1604

M. V. Regiæ

Devotus Capellanus.

Mart: Archieps Colocen. et per Vngar. Locumtenens Regis.

16 Septembris 1607
Archiepus Colocensis de percipienda dispen-
sionem in aperiendis literis

Serenissimo Principi et Domino, Dno Sigismundo tertio, Dei gra
Regi Poloniae, magno Duci Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae,
Samogitiae, Livoniaeqz etc necnon Suecorum, Gottoru Vandalorumqz
haereditario Regi etc Domino benignissimo.